# Pensa Soluta (Quaestiones Latinae) a Cap. XXIV ad Cap. XXXV

## CAPITVLVM XXIV

### Excercitium 3

1. Quiētēne iacet Quīntus in lectō? ...
Quīntus nōn quiētē iacet, sed in lectō sē convertit

2. Cūr dormīre nōn potest? ...
dormīre nōn potest quia pēs dolet

3. Quid puer facere cōnātur? ...
ē lectō surgere cōnātur

4. Quid mīrātur Quīntus? ...
mīrātur quod pedēs imparēs sunt

5. Uter pēs māior est? ...
pēs dexter māior est pede laevō

6. Cūr avēs in hortō silent? ...
avēs tempestāte territae sunt

7. Quō sonō silentium rumpitur? ...
clāmōre et strepitū rumpitur silentium

8. Unde venit ille strepitus? ...
strepitus ē cubiculō Mārcī venit

9. Quem vocat Quīntus? ...
Quīntus Syram vocat

10. Quid dīcit Quīntus dē pede suō aegrō? ...
dīcit 'pedem sibi dolēre'

11. Estne frāctum crūs eius? ...
crūs frāctum nōn est

12. Quārē Quīntus flēre incipit? ...
Quīntus dolōrem patitur, nec tamen flet

13. Quid agunt aliī puerī, dum Quīntus intus cubat? ...
aliī puerī forīs lūdunt

14. Mārcusne cum aliīs puerīs lūdit? ...
Mārcus, quī in cubiculō inclūsus est, cum aliīs puerīs lūdere nōn potest

15. Cūr Quīntus ignōrat Mārcum inclūsum esse? ...
... quia nēmō eī nārrāvit dē Mārcō

## CAPITVLVM XXV

### Exercitium 2

1. Quid Quīntus Syram sibi nārrāre iubet? ...
Quīntus Syram sibi fābulam nārrāre iubet

2. Quid fēcit Achillēs? ...
Achillēs Hectorem interfēcit

3. Quis prīmōs mūrōs Rōmānōs aedificāvit? ...
Rōmulus prīmōs mūrōs Rōmānōs aedificāvit

4. Quem Rōmulus interfēcit?
Rōmulus Remum frātrem interfēcit

5. Cūr Quīntus fābulam dē Rōmulō audīre nōn vult? ...
quia illam fābulam iam nōvit

6. Quālem fābulam Quīntus audīre cupit? ...
fābulam dē mōnstrō ferōcī

7. Quam fābulam Syra puerō nārrat? ...
Syra eī fābulam dē Thēseō et Mīnōtaurō nārrāre incipit

8. Quāle mōnstrum erat Mīnōtaurus? ...
erat mōnstrum terribile quod hominēs vīvōs vorābat

9. Ubi illud mōnstrum habitābat? ...
in Crētā in labyrinthō habitābat

10. Quid est labyrinthus? ...
labyrinthus est magnum aedificium unde difficile est exīre

11. Clausane erat iānua labyrinthī? ...
iānua labyrinthī patēbat

12. Quis illum labyrinthum aedificāverat? ...
labyrinthum aedificāverat Daedalus

13. Unde veniēbant hominēs quōs edēbat Mīnōtaurus? ...
illī Athēnīs veniēbant

14. Quālia vēla gerēbat nāvis eōrum? ...
Nāvis vēla ātra gerēbat

### Exercitium 5

1. Cūr Athēniēnsēs in Crētam mittēbantur? ...
... quod rēx Mīnōs Athēniēnsibus male volēbat

2. Cūr Mīnōs Athēniēnsibus inimīcus erat? ...

... quod fīlius eius ab Athēniēnsibus necātus erat

3. Ubi Thēseus vīvēbat? ...
Thēseus Athēnīs vīvēbat

4. Quam bēstiam Thēseus iam necāverat? ...
taurum album, patrem Mīnōtaurī, iam necāverat

5. Quid Thēseus tum agere cōnstituit? ...
cōnstituit Mīnōtaurum ipsum quoque occīdere

6. Sōlusne Thēseus in Crētam profectus est? ...
nōn sōlus, sed cum aliīs Athēniēnsibus profectus est

7. Quō rēx Mīnōs Thēseum dūcī iussit? ...
rēx eum in labyrinthum dūcī iussit

8. Quae fuit Ariadna? ...
Ariadna fuit fīlia virgō rēgis Mīnōis

9. Cūr ea Thēseum servāre cōnstituit? ...
... quia eum amābat

10. Quōmodo Ariadna Thēseō auxilium tulit? ...
Ariadna Thēseō fīlum dedit quod eī viam ē labyrinthō mōnstrāvit

11. Quid Thēseus Ariadnae prōmīsit? ...
Thēseus prōmīsit 'sē Ariadnam sēcum Athēnās ductūrum esse'

12. Quid fēcit Thēseus in labyrinthō? ...
Mīnōtaurum gladiō occīdit

13. Quōmodo exitum labyrinthī repperit? ...
fīlum Ariadnae secūtus exitum repperit

## Exercitium 9

1. Quid Thēseus cīvibus suīs ostendit? ...
Thēseus iīs gladium suum cruentum ostendit

2. Num Thēseus sōlus ē Crētā profectus est? ...
nōn sōlus, sed cum Ariadnā cīvibusque suīs profectus est

3. Ubi Ariadnam relīquit Thēseus? ...
Naxī Thēseus eam dormientem relīquit

4. Ubi amīcum suum Ariadna quaesīvit? ...
Ariadna eum in lītore quaesīvit

5. Quid puella ē saxō prōspiciēns vīdit? ...
nāvem Thēseī procul in marī vīdit

6. Quid facere solent hominēs quī maerent? ...
quī maerent capillum et vestem scindere solent

7. Cūr Syra virīs nōn crēdit? ...
... quia dēserta est ā virō quī eī multa prōmīserat

8. Quō Thēseus Nāxō profectus est? ...
Athēnās in patriam suam profectus est

9. Unde Aegeus rēx in mare prōspiciēbat? ...
ab altō saxō Aegeus in mare prōspiciēbat

10. Cūr Aegeus fīlium suum mortuum esse arbitrābātur? ...
... quod nāvem fīliī vēla ātra gerentem vīdit

11. Quid tum fēcit Aegeus? ...
rēx in mare sē iēcit

12. Quod mare ab Aegeō rēge appellātum est? ...
ab Aegeō rēge appellātum est 'mare Aegaeum'

13. Ubi situm est mare Aegaeum? ...
mare Aegaeum situm est inter Graeciam et Asiam

14. Quis rēx Athēniēnsium factus est post Aegeum? ...
Thēseus, Aegeī fīlius, rēx Athēniēnsium factus est

# CAPITVLVM XXVI

## Exercitium 3

1. Cūr rēx Thēseum fugientem cōnsequī nōn potuit?
... quia nāvis Thēseī celerior fuit

2. Quō Mīnōs Daedalum inclūdī iussit? ...
Mīnōs eum in labyrinthum inclūdī iussit

3. Quid Daedalus cōnfēcerat et Ariadnae dederat? ...
Daedalus cōnfēcerat fīlum illud quod Ariadna Thēseō dedit

4. Quis cum Daedalō in labyrinthum inclūsus est? ...
Īcarus cum patre suō in labyrinthum inclūsus est

5. Cūr Syra hīc fīnem facere vult? ...
... quia iam hōram cōnsūmpsit in nārrandō

6. Quā viā Daedalus effugere cōnstituit? ...
Daedalus per āera effugere cōnstituit

7. Cūr Īcarus labyrinthum 'carcerem' appellāvit? ...
... quia exitum invenīre nōn potuit

8. Quārē fessus erat Īcarus? ...
... quia iam multās hōrās in labyrinthō errāverat

9. Multumne cibī iīs reliquum erat? ...
cibus eōrum paene cōnsūmptus erat

10. Quōrum auxilium Īcarus opperiēbātur? ...
Īcarus auxilium deōrum opperiēbātur

## Exercitium 6

1. Quid Daedalus excōgitāverat? ...
cōnsilium fugae excōgitāverat

2. Quae via sōla iīs patēbat ad fugiendum? ...
sōla via per āera iīs patēbat

3. Quid Daedalus suprā sē vīdit? ...
Daedalus aquilam volantem vīdit

4. Quae animālia nātūrā volāre possunt? ...
avēs sunt animālia quae volāre possunt

5. Cūr homō volāre nōn potest? ...
... quia gravis est neque ālās habet

6. Quās rēs mīrābilēs Daedalus iam cōnfēcerat? ...
Daedalus iam signa quae sē ipsa movēre poterant cōnfēcerat

7. Quōmodo Daedalus ālās cōnfēcit? ...
ālās cōnfēcit ex pennīs quās cērā iūnxit

8. Ubi fīxae sunt ālae? ...
ālae in lacertīs fīxae sunt

9. Cūr Īcarus nōn statim volāre potuit? ...
Īcarus ālās nōn rēctē mōvit

10. Quid Daedalus fīlium suum docuit? ...
Daedalus fīlium suum ālās sūrsum deorsum movēre docuit

11. Ubi pater Īcarum volāre iussit? ...
iussit eum volāre in mediō āere

12. Cūr eī nōn licēbat in summum caelum ascendere? ...
... quod ignis sōlis cēram mollīre poterat

## Exercitium 9

1. Quis fugam Daedalī et Īcarī animadvertit? ...
aliquī pāstor eōs volantēs vīdit

2. Quid arbitrātus est pāstor quī eōs volāre vīdit? ...
pāstor eōs deōs esse arbitrātus est

3. Cūr pater et fīlius nōn rēctā viā Athēnās volāvērunt? ...
... quod multās īnsulās vidēre voluērunt

4. Quid volantēs sub sē vīdērunt? ...
īnsulās maris Aegaeī vīdērunt

5. Quid est Peloponnēsus? ...
magna paenīnsula est

6. Quōmodo Peloponnēsus cum reliquā Graeciā coniungitur? ...
Peloponnēsus terrā angustā cum reliquā Graeciā coniungitur

7. Quid est Corinthus? ...
Corinthus est urbs Graeca prope Isthmum sita

8. Quārē Īcarus ad sōlem ascendit? ...
... quia sōlem propius aspicere cupiēbat

9. Quid tum puerō temerāriō accidit? ...
ignis sōlis cēram mollīvit et pennās ussit

10. Quid appellātur id mare quō Īcarus cecidit? ...
mare Īcarium appellātur

11. In quā īnsulā inventum est corpus puerī? ...
corpus puerī inventum est in īnsulā quae 'Īcaria' appellātur

12. Cūr Quīntus fessus nōn est fābulās audiendō? ...
... quod puer fābulās audiendō dēlectātur

13. Quārē nārrātur haec fābula? ...
haec fābula et dēlectandī et monendī causā nārrātur

# CAPITVLVM XXVII

## Exercitium 3

1. Quid Iūlius post merīdiem facere solet? ...
post merīdiem Iūlius quiēscit, tum ambulātum īre solet

2. Quid crēscit in agrīs quī hortum cingunt? ...
frūmentum et vītēs in agrīs crēscunt

3. Quō mēnse metitur frūmentum? ...
frūmentum mēnse Augustō metitur

4. Quid est agricolae negōtium? ...
negōtium agricolae est agrōs colere

5. Quid est arātrum?
arātrum est īnstrūmentum quō agrī arantur

6. Quae bēstiae arātrum trahunt? ...
bovēs arātrum trahunt

7. Quōmodo serit agricola? ...
agricola serit sēmen manū spargendō

8. Quō īnstrūmentō ūtitur agricola quī metit? ...
quī metit falce ūtitur

9. Cuius pater est Sāturnus? ...
Sāturnus est pater Iovis

10. Quid fēcit Sāturnus postquam ē caelō pulsus est? ...
in Italiam vēnit, ubi Latīnōs agrōs colere docuit

11. Cūr magna Italiae pars nōn arātur? ...
... quia agricolae multās ovēs et bovēs pāscunt

12. Quid est negōtium pāstōris? ...
pāstōris negōtium est ovēs pāscere

13. Unde frūmentum Rōmam invehitur? ...
frūmentum ex Āfricā invehitur

14. Cūr necesse est solum Āfricae rigāre? ...
... quod multīs locīs parum aquae est

15. Quotiēs in annō Aegyptiī metere possunt? ...
In annō Aegyptiī bis terve metere possunt

## Exercitium 6

1. Ubi ambulat Iūlius? ...
circā agrōs et vīneās ambulat

2. Quālēs sunt vīllae quibus lacus Albānus cingitur? ...
vīllīs magnificīs cingitur lacus Albānus

3. In quā Italiae regiōne plūrimae sunt vīllae? ...
in Latiō circā lacum Albānum plūrimae vīllae sunt

4. Quōs Iūlius ambulāns aspicit in agrīs? ...
Iūlius colōnōs labōrantēs aspicit

5. Cūr Iūlius sē prae agricolīs beātum esse cēnset? ...
... quod eī necesse nōn est in agrīs labōrāre

6. Quid est colōnus? ...
colōnus est agricola quī agrōs aliēnōs prō dominō colit

7. Omnēsne colōnī mercēdem ad diem solvērunt? ...
ūnus colōnus mercēdem nōndum solvit

8. Quot sēstertiōs quīdam colōnus Iūliō dēbet? ...
ille colōnus octingentōs sēstertiōs Iūliō dēbet

9. Quid Iūlius illī colōnō imperat? ...
dominus eī imperat ut mercēdem statim solvat

10. Quid colōnus Iūlium ōrat? ...
colōnus dominum ōrat ut patientiam habeat

11. Cūr colōnus mercēdem statim solvere nōn potest? ...
... quia nūlla est eī pecūnia

12. Quot līberī illī colōnō sunt? ...
colōnō octō līberī sunt

13. Cūr uxor colōnī līberōs cūrāre nōn potest? ...
... quod gravida est

14. Quid Iūlius colōnum monet? ...
Iūlius colōnum monet ut uxōrem et līberōs cūret

## Exercitium 10

1. Dē quibus rēbus Iūlius agricolās interrogat? ...
dē rēbus rūsticīs agricolās interrogat

2. Cūr agricola cēnset vīnum bonum futūrum esse? ...
... quia sōl cotīdiē lūcet

3. Quid vīneīs māximē prōdest? ...
sōl et calor vīneīs prōdest

4. Quid Iūlius agricolās monet? ...
agricolās monet ut industriē labōrent

5. Cūr agrī Iūliī arte rigārī nōn possunt? ...
... quod procul absunt ā rīvō

6. Quid est officium pāstōris? ...
officium pāstōris est cūrāre nē ovēs aberrent

7. Cūr ovis nigra ē grege aberrāvit? ...
ovis nigra umbram petīvit

8. Quōmodo servāta est ovis? ...
canis et pāstor eam repperit et ā lupō servāvit

9. Quid Iūlius dē illō pāstōre exīstimat? ...
Iūlius pāstōrem pigrum et neglegentem esse exīstimat

10. Cūr necesse nōn est pāstōrem arcessere? ...
... quia pāstor ipse cum grege suō advenit

11. Quid pāstor dominum ōrat? ...
pāstor dominum ōrat nē sē verberet

12. Quid Iūlius duōbus agricolīs imperat? ....
agricolīs imperat ut pāstōrem prehendant et teneant

13. Quid faciunt ovēs dum pāstor ita tenētur? ...
ovēs in agrōs aberrant ac frūmentum immātūrum carpunt

14. Agricolae hoc videntēs quid agunt? ...
agricolae pāstōrem mittunt atque ovēs ex agrīs agunt

15. Tūne Iūlium dominum sevērum esse cēnsēs? ...
cēnseō eum dominum sevērum, nec vērō inhūmānum esse

# CAPITVLVM XXVIII

## Exercitium 3

1. Quō nāvigant Mēdus et Lȳdia? ...
Mēdus et Lȳdia ad Graeciam nāvigant

2. Estne mare adhūc turbidum? ...
iam nōn turbidum est mare

3. Ubi est fretum Siculum? ...
fretum Siculum est inter Italiam et Siciliam

4. Quā dē causā gaudent nautae? ...
nautae gaudent quia tempestās cessāvit

5. Cūr nōn gaudet mercātor? ...
mercātor trīstis est quod mercēs eius ē nāve ēiectae sunt

6. Dē quibus rēbus cōgitat Mēdus? ...
Mēdus cōgitat dē verbīs Lȳdiae

7. Cūr Lȳdia Mēdum aegrōtāre putat? ...
... quod Mēdum pallēre animadvertit

8. Ubi nātus est Chrīstus? ...
Chrīstus in oppidō Bethlehem nātus est

9. Ubi sita est Iūdaea? ...
Iūdaea in Asiā inter Syriam et Arabiam et Aegyptum sita est

10. Quī Chrīstum parvulum adōrāvērunt? ...
rēgēs ex Oriente venientēs eum adōrāvērunt

11. Cūr hominēs aegrī ad Chrīstum conveniēbant? ...
... quia Chrīstus aegrōs sānāre poterat

12. Quid Lȳdia Mēdō ostendit? ...
Lȳdia Mēdō libellum suum ostendit

## Exercitium 6

1. Cūr Mēdus Lȳdiae libellum reddit neque ipse legit? ...
... quia Mēdus legere nescit

2. Quid Iēsūs virō claudō imperāvit? ...
Iēsūs eī imperāvit ut tolleret lectum suum et domum ambulāret

3. Quid Iaīrus rogāvit Iēsum? ...
Iaīrus Iēsum rogāvit ut fīliam suam mortuam suscitāret

4. Quid fēcit Iēsūs in domō Iaīrī? ...
Iēsūs manum puellae tenuit eamque surgere iussit

5. Potestne Iuppiter hominēs mortuōs suscitāre? ...
nē Iuppiter quidem id facere potest

6. Quī diī mundum inter sē dīvīsērunt? ...
mundum inter sē dīvīsērunt trēs diī: Iuppiter, Neptūnus, Plūtō

7. Quis deus rēx maris est? ...
Neptūnus deus maris est

8. Quis apud Īnferōs rēgnat? ...
apud Īnferōs rēgnat Plūtō

9. Quōmodo Iēsūs ad nāviculam discipulōrum vēnit? ...
Iēsūs ad nāviculam vēnit super mare ambulāns

10. Cūr turbātī sunt quī in nāviculā erant? ...
... quia Iēsum phantasma esse putāvērunt

11. Quid Iēsūs Petrum facere iussit? ...
Iēsūs iussit eum ad sē venīre super aquam

12. Num Petrus mersus est? ...
Petrus servātus est, nam Iēsūs eum manū apprehendit

13. Quid dīxērunt discipulī postquam Iēsūs in nāviculam ascendit? ...
discipulī 'eum vērē fīlium Deī esse' dīxērunt

## Exercitium 10

1. Quem gubernātor putat potestātem maris habēre? ...
gubernātor deum Neptūnum potestātem maris habēre crēdit

2. Iamne nāvis extrā perīculum est? ...
alia multa perīcula nautīs impendent

3. Quārē praedōnēs maritimī nāvēs persequuntur? ...
praedōnēs nāvēs persequuntur ut mercēs rapiant ac nautās occīdant

4. Quae perīcula in fretō Siculō nautīs impendent? ...
in fretō Siculō Scylla et Charybdis nautīs impendent

5. Cūr Mēdus in Graeciā vīvere māvult quam in Italiā? ...
... quia Graecia patria eius est

6. Cui dominō Mēdus serviēbat? ...
Mēdus serviēbat dominō cui nōmen est Iūlius

7. Quid dominus Rōmānus ā Mēdō postulābat? ...
dominus ā Mēdō postulābat ut opus sordidum faceret

8. Quārē Mēdus ē vīllā dominī Rōmam fūgit? ...
Mēdus ē vīllā fūgit ut amīcam suam Rōmānam vidēret

9. Quōmodo Mēdus Lȳdiae persuāsit ut sēcum venīret? ...
Mēdus amīcae suae ānulum aureum dedit

10. Quid Lȳdia gubernātōrī ostendit? ...
Lȳdia gubernātōrī ānulum suum aureum ostendit

11. Cūr gubernātor Mēdum ānulum ēmisse mīrātur? ...
... quia Mēdus servus pauper erat

12. Cūr Mēdus rubet neque respondet? ...
Mēdus rubēns nescit quid respondeat quia pecūniā dominī ānulum ēmit

# CAPITVLVM XXIX

## Exercitium 3

1. Ubi sunt eae nāvēs quae in mare mersae sunt? ...
in fundō maris iacent

2. Cūr mercātōrēs domī remanēre solent? ...
... quia perīcula maris metuunt

3. Quōmodo lucrum faciunt mercātōrēs? ...
mercātōrēs mercēs quās parvō pretiō ēmērunt māiōre pretiō vēndunt

4. Quid mercātor Ōstiā proficīscēns spērābat? ...
mercātor sē magnum lucrum factūrum esse spērābat

5. Quōmodo mercātor iam pauper factus est? ...
pauper factus est quia omnēs mercēs eius ēiectae sunt

6. Quā dē causā queritur mercātor? ...
queritur quod mercēs suās āmīsit

7. Quōs mercātor alere dēbet? ...
mercātor uxōrem et līberōs alere dēbet

8. Quōmodo gubernātor mercātōrem cōnsōlātur? ...
iubet eum laetārī quod vītam nōn āmīsit simul cum mercibus

9. Quem accūsat mercātor? ...
mercātor gubernātōrem accūsat quod is mercēs ēicere iussit

10. Cūr nautae sē fēlīcēs esse cēnsent? ...
... quod nāvis eōrum iactūrā mercium servāta est

11. Quid mercātor deōs precātur? ...
deōs precātur ut sibi mercēs reddant

12. Quid sē interrogat miser mercātor? ...
mercātor sē interrogat utrum in nāve maneat an in mare saliat

## Exercitium 6

1. Quid Orpheus cantū suō efficiēbat? ...
Orpheus effēcit ut ferae accēderent ac rapidī rīvī cōnsisterent

2. Quārē Orpheus ad Īnferōs dēscendit? ...
ad Īnferōs dēscendit ut uxōrem suam inde redūceret

3. Quam fābulam nārrat gubernātor? ...
fābulam nārrat dē Arīone

4. Cūr nautae Arīonī invidēbant? ...
nautae Arīonī invidēbant, quia is magnās dīvitiās possidēbat

5. Quid Arīōn nautās precātus est? ...
Arīōn nautās precātus est ut vītae suae parcerent

6. Quid nautae Arīonī imperāvērunt? ...
nautae eī imperāvērunt ut in mare dēsilīret

7. Quid fēcit Arīōn antequam in mare dēsiluit? ...
in puppī stāns Arīōn carmen cecinit, tum in mare dēsiluit

8. Quōmodo servātus est Arīōn? ...
delphīnus eum in dorsō suō sedentem servāvit

9. Cui Arīōn dē salūte suā nārrāvit? ...
Arīōn rēgī Periandrō dē salūte suā mīrābilī nārrāvit

10. Num rēx Periander Arīonī crēdidit? ...
rēx Arīonī haec nārrantī nōn crēdidit

11. Quid rēx nautās interrogāvit? ...
rēx eōs interrogāvit ubi esset Arīōn et quid faceret

12. Vērumne iī respondērunt? ...
nōn vērum, sed falsum fuit quod nautae respondērunt

13. Cūr nautae maleficium suum confessī sunt? ...
... quia Arīonem vīvum appārēre vīdērunt

14. Quid nōs monet haec fābula? ...
haec fābula nōs monet nē umquam dē salūte dēspērēmus

## Exercitium 10

1. Quid Lȳdia Mēdum interrogāverat? ...
Lȳdia Mēdum interrogāverat dē pecūniā quā ānulum ēmerat

2. Quid nunc respondet Mēdus? ...
Mēdus respondet ‘sē pecūniam dominī surripuisse’

3. Quid Mēdus appellātur ā Lȳdiā? ...
Lȳdia Mēdum ‘fūrem’ appellat

4. Quōmodo Mēdus sē excūsat? ...
Mēdus dīcit ‘dominum sibi pecūlium dēbēre’

5. Quārē Mēdus fūrtum fēcit? ...
fūrtum fēcit ut amīcae suae dōnum pretiōsum daret

6. Cūr Lȳdia ānulum suum abicere vult? ...
... quia ānulum aliēnā pecūniā ēmptum esse intellegit

7. Cūr Polycratēs ānulum suum abiēcit? ...
Polycratēs ānulum abiēcit, ut invidiam deōrum āverteret

8. Ubi inventus est ānulus Polycratis? ...
ānulus eius in ventre piscis inventus est

9. Quōmodo mortuus est ille tyrannus? ...
Polycratēs ā virō fallācī necātus est

10. Quid nōs docet fortūna eius? ...
eius fortūna nōs docet vītam beātam morte miserrimā fīnīrī posse

11. Cūr Mēdus gubernātōrem prōspicere iubet? ...
... quia nāvem vēlōciter appropinquāre videt

12. Cūr pallet gubernātor? ...
gubernātor pallet quia nāvem praedōnum sē persequī putat

13. Quōmodo nāvis celerrimē vehī potest? ...
celerrimē vehitur nāvis quae rēmīs agitur

14. Cūr altera nāvis celerius vehitur? ...
altera nāvis celerius vehitur quod vēla eius integra sunt

# CAPITVLVM XXX

## Exercitium 3

1. Quid agit Iūlius ex agrīs reversus? ...
ex agrīs reversus Iūlius balneum petit

2. Lavāturne Iūlius aquā frīgidā tantum? ...
dominus et aquā calidā et aquā frīgidā lavātur

3. Quī adveniunt dum Iūlius vestem novam induit? ...
amīci et hospitēs eius adveniunt

4. Quī sunt Cornēlius et Orontēs? ...
Cornēlius et Orontēs sunt hospitēs Iūliī

5. Fabia et Paula quae sunt? ...
Fabia est uxor Cornēliī et Paula uxor Orontis

6. Quārē hospitēs eā hōrā adveniunt? ...
hospitēs adveniunt quia Iūlius eōs ad cēnam vocāvit

7. Quis hospitēs advenientēs recipit? ...
hospitēs recipit Aemilia, quia Iūlius nōndum ē balneō exiit

8. Quōmodo Aemilia marītum suum tardum excūsat? ...
Aemilia dīcit 'marītum suum tardē ex agrīs revertisse'

9. Quid Iūlius intrāns Cornēlium interrogat? ...
Cornēlium interrogat cūr tam rārō eum videat

10. Quid respondet Cornēlius? ...
respondet 'sē urbem prius relinquere nōn potuisse prae negōtiīs suīs'

11. Quandō Orontēs ex itinere revertit? ...
īdibus Māiīs revertit

12. Quid Iūlius audīre cupit? ...
Iūlius aliquid dē rēbus urbānīs audīre cupit

13. Num Iūlius ipse in agrīs labōrat? ...
Iūliō necesse nōn est in agrīs labōrāre

14. Tūne vītam rūsticam molestam esse cēnsēs? ...
ego vītam rūsticam iūcundam esse cēnseō

15. Utrum rūrī an in urbe vīvere māvīs? ...
rūrī vīvere mālō quam in urbe

## Exercitium 7

1. Utrum malum māius est, famēsne an sitis? ...
sitis est malum māius quam famēs

2. Quid Orontēs bibere māvult quam aquam? ...
Orontēs vīnum bibere māvult

3. Quārē hominēs edunt et bibunt? ...
edimus et bibimus ut vīvāmus

4. Ubi coquitur cibus? ...
in culīnā cibus coquitur

5. Cuius negōtium est cibum coquere? ...
cibum coquere est negōtium cocī

6. Quot lectī et quot mēnsae sunt in triclīniō? ...
in triclīniō sunt trēs lectī et ūna mēnsa

7. Quibus rēbus exōrnātur triclīnium? ...
triclīnium exōrnātur flōribus et veste pulcherrimā

8. Num convīvae in sellīs sedentēs cēnant? ...
convīvae nōn sedentēs, sed cubantēs cēnant

9. Quot convīvae in singulīs lectīs accubant? ...
in singulīs lectīs singulī aut bīnī aut ternī convīvae accubant

10. Quandō convīvae in triclīnium intrābunt? ...
convīvae intrābunt cum prīmum triclīnium ōrnātum erit

11. Quot sunt bis bīna? ...
bis bīna sunt quattuor

## Exercitium 11

1. Utrum pretiōsius est, aurumne an argentum? ...
aurum pretiōsius est quam argentum

2. Num convīvae Iūliī ē vāsīs aureīs cēnant? ...
nōn ē vāsīs aureīs, sed ē vāsīs argenteīs cēnant convīvae

3. In quō lectō accumbit dominus convīviī? ...
dominus convīviī in lectō mediō accumbit

4. Quid convīvīs Iūliī appōnitur? ...
convīvīs appōnuntur ōva, piscēs, holera, carō, cētera

5. Quid est caput cēnae? ...
caput cēnae est porcus

6. Quārē Orontēs salem carnī aspergit? ...
Orontēs salem carnī aspergit ut sitim augeat

7. Quid ministrī in pōcula fundunt? ...
vīnum et calidam in pōcula fundunt ministrī

8. Quid pōtat Orontēs? ...
Orontēs vīnum merum pōtat

9. In quō lectō accubant lībertīnī? ...
lībertīnī in lectō īmō accubant

10. Quid est Falernum? ...
Falernum est vīnum optimum ex agrō Falernō

11. Quōmodo Paula vīnum suum dulce facit? ...
Paula vīnō suō mel miscet

12. Quid Iūlius Orontem interrogat? ...
Iūlius Orontem interrogat 'utrum vīnum melius sit, Falernum an Albānum?'

13. Cūr Orontēs sententiam suam dīcere nōn vult? ...
Orontēs sententiam suam dīcere nōn vult antequam utrumque gustāverit

14. Quid tum Iūlius prōferrī iubet? ...
Iūlius tum Falernum prōferrī iubet

15. Utrum vīnum convīvīs magis placet? ...
vīnum Falernum convīvīs magis placet quam Albānum

# CAPITVLVM XXXI

## Exercitium 3

1. Dē quibus rēbus est sermō convīvārum? ...
convīvae colloquuntur dē fugā Mēdī et dē poenīs servōrum

2. Quid Iūlius hospitēs suōs interrogat? ...
hospitēs interrogat dē rēbus urbānīs

3. Cūr paucās epistulās accipit Iūlius? ...
... quia ipse paucās epistulās scrībit

4. Quem Cornēlius in viā Latīnā vīdit? ...
Mēdum vīdit in viā Latīnā

5. Quam fābulam nārrat Orontēs? ...
Orontēs fābulam nārrat dē Midā rēge

6. Cūr Iūlius Orontem interpellat? ...
Iūlius dē suō Mēdō servō loquī māvult

7. Quōmodo Midās rēs in aurum mūtāre poterat? ...
Midās omnia manū tangendō in aurum mūtāre poterat

8. Quis rēgī hoc mūnus dederat? ...
hoc mūnus illī dederat Bacchus

9. Num Midās illō mūnere mīrābilī dēlectābātur? ...
rēx miser fuit quod cibus eius in aurum mūtābātur

10. Quid Bacchus rēgī suāsit? ...
Bacchus eī suāsit ut in quōdam flūmine lavārētur

11. Quid accidit cum rēx in flūmine lavārētur? ...
color aquae aureus factus est

12. Quid Iūlius Mēdum fēcisse nārrat? ...
Iūlius nārrat 'Mēdum cum pecūniā dominī aufūgisse'

13. Omnēsne servī Iūliī īnfīdī sunt? ...
Iūlius dīcit 'omnēs servōs suōs īnfīdōs esse praeter ūnum'

## Exercitium 6

1. Quid Iūlius faciet Mēdō sī eum invēnerit? ...
Iūlius servum suum fugitīvum sevērē pūniet

2. Ubi Cornēlius Mēdum latēre putat? ...
Cornēlius eum Rōmae latēre putat

3. Estne facile servum fugitīvum Rōmae reperīre? ...
difficile est in tantā urbe inter tot hominēs servum fugitīvum reperīre

4. Quid Iūlius dabit eī quī Mēdum retrāxerit? ...
Iūlius praemium dabit eī quī eum servum retrāxerit

5. Quid Aemilia virō suō suādet? ...
Aemilia Iūliō suādet ut clēmēns sit nēve Mēdum cruciet

6. Utrum clēmēns an sevērus dominus est Iūlius? ...
dominus sevērus esse vidētur

7. Cūr dominō sevērō tot hostēs sunt quot servī? ...
... quod servī dominum sevērum ōdērunt

8. Cūr Iūlius sē dominum iūstum esse cēnset? ...
... quod numquam sine causā servum pūnīvit

9. Quārē servī fugitīvī sevērē pūniuntur? ...
servī fugitīvi pūniuntur ut ā fugā dēterreantur

10. Cūr Solō nūllam poenam statuit in parricīdās? ...
... quia exīstimābat nēminem patrem suum occīsūrum esse

11. Quid fēcit Titus Mānlius Torquātus? ...
ille fīlium suum necārī iussit quod patrī nōn oboedīverat

## Exercitium 10

1. Quālēs īnfantēs ōlim ad bēstiās expōnēbantur? ...
ōlim expōnēbantur multī īnfantēs dēbilēs

2. Quī hominēs ad bēstiās mittuntur? ...
ad bēstiās mittuntur hominēs scelestī

3. Num omnēs īnfantēs expositī perībant? ...
aliquī īnfantēs expositī ā pāstōribus servatī sunt

4. Cuius fīlius fuit Paris? ...
Paris fīlius rēgis Priamī fuit

5. Quōmodo Paris īnfāns servātus est? ...
Paris īnfāns in monte expositus ā pāstōribus inventus est

6. Quid fēcit Paris iuvenis? ...
Paris Helenam, Menelāī uxōrem, abdūxit

7. Nestor quis fuit? ...
Nestor fuit dux Graecōrum senex

8. Cūr cēterī convīvae Orontem tacēre iubent? ...
... quia Orontēs ēbrius nimium fābulātur

9. Quid Orontēs dīcit Aemiliae? ...
Orontēs dīcit 'Aemiliam tam pulchram esse quam Helenam'

10. Quid Aemilia respondet? ...
Aemilia respondet 'eum ēbrium esse ac tam rūsticum quam Paridem'

11. Quid cantat Orontēs? ...
Orontēs carmen dē amandō cantat

12. Cūr Orontēs carminis fīnem nōn facit? ...
antequam fīnem facit, sub mēnsam lābitur

# CAPITVLVM XXXII

## Exercitium 2

1. Cūr praedōnēs ā nautīs timentur? ...
... quia praedōnēs nautās necant aut servōs vēndunt

2. Quōmodo Caesar ā praedōnibus līberātus est? ...
Caesar ingentī pretiō redēmptus est

3. Cūr nōnnūllae īnsulae ab incolīs dēserēbantur? ...
... quod incolae praedōnēs metuēbant

4. Quamobrem inopia frūmentī facta est Rōmae? ...
... quia praedōnēs prohibēbant nē frūmentum Rōmam adveherētur ex Āfricā

5. Quid tum populus Rōmānus postulāvit? ...
populus postulāvit ut classis Rōmāna adversus praedōnēs mitterētur

6. Quis classī Rōmānae praepositus est? ...
Cn. Pompēius classī praepositus est

7. Unde praedōnēs prīmum pulsī sunt ā Pompēiō? ...
Pompēius prīmum praedōnēs ē marī Tūscō pepulit

8. Quid victōriā Pompēiī effectum est Rōmae? ...
pretium frūmentī minūtum est

9. Quārē classis Rōmāna cūncta maria percurrit? ...
classis Rōmāna cūncta maria percurrit, ut nāvēs ā praedōnibus tueātur

10. Quid mare Internum appellātur ā Rōmānīs? ...
mare Internum ā Rōmānīs 'mare nostrum' appellātur

11. Quamobrem perturbātī sunt amīcī nostrī? ...
Mēdus et Lȳdia perturbātī sunt quia praedōnēs sē persequī putant

## Exercitium 6

1. Quid agit Lȳdia cum nāvem appropinquāre videat? ...
Lȳdia Deum precātur

2. Quōmodo Mēdus praedōnibus resistere potest? ...
Mēdus gladiō praedōnibus resistere vult

3. Cūr Lȳdia ā Mēdō auxilium petere nōn vult? ...
... quia Mēdum ut fūrem contemnit atque auxilium Deī exspectat

4. Cūr gubernātor Mēdō dissuādet nē gladiō ūtātur? ...
... quia praedōnibus resistere nōn potest

5. Quōmodo gubernātor sē servātum īrī spērat? ...
Gubernātor spērat amīcōs suōs sē redēmptūrōs esse

6. Cūr Mēdus nūllam sibi spem esse arbitrātur? ...
... quia eī nūllī sunt amīcī pecūniōsī

7. Num mercātor amīcīs suīs cōnfīdit? ...
mercātor cēnset amīcīs fīdendum nōn esse

8. Quid Ovidius dē amīcīs exīstimābat? ...
Ovidius exīstimābat amīcōs temporibus adversīs nōs dēsertūrōs esse

9. Cūr gubernātor putat amīcōs sibi grātiam habēre? ...
... quia ipse saepe amīcīs suīs affuit

10. Quandō vērus amīcus cognōscitur? ...
fortūnā adversā cognōscitur vērus amīcus

## Exercitium 11

1. Quōmodo Mēdus servus factus est? ...
servus factus est cum pecūniam dēbitam solvere nōn posset

2. Cūr nōn anteā id nārrāvit? ...
Mēdus id nārrāre nōlēbat, nē quis eum glōriōsum exīstimāret

3. Quid optat Mēdus? ...
Mēdus optat ut līber patriam suam videat

4. Quantum pretium pīrātae ā Caesare postulāvērunt? ...
pīrātae vīgintī talenta ā Caesare postulāvērunt

5. Quantum pecūniae Caesar pīrātīs obtulit? ...
Caesar iīs quīnquāgintā talenta obtulit

6. Quōmodo Caesar pīrātās pūnīvit? ...
Caesar ipse pīrātās cēpit eōsque in crucem tollī iussit

7. Cūr Mēdus ānulum reddit Lȳdiae? ...
ānulum Lȳdiae reddit, ut ea sē ānulō aureō redimat

8. Quid tum Lȳdia intellegit? ...
Lȳdia intellegit sē vītā cāriōrem esse Mēdō

9. Quae sunt nāvēs persequentēs? ...
nāvēs longae sunt

10. Quōmodo nautae nāvēs longās salūtant? ...
rēmīs sublātīs nāvēs longās salūtant

11. Quid Mēdus ā mīlitibus timet? ...
Mēdus timet nē ā mīlitibus captus Rōmam abdūcātur

12. Quōmodo Lȳdia eum cōnsōlātur? ...
Lȳdia dīcit 'mīlitēs ignōrāre eum servum fugitīvum esse'

13. Quō classis cursum flectit? ...
classis cursum ad orientem flectit

14. Quid amīcīs nostrīs optāmus? ...
optāmus ut amīcī nostrī salvī in Graeciam perveniant

# CAPITVLVM XXXIII

## Exercitium 3

1. Quot cohortēs sunt in singulīs legiōnibus? ...
in singulīs legiōnibus dēnae cohortēs sunt

2. Quae sunt arma auxiliōrum? ...
arma auxiliōrum sunt arcūs et sagittae

3. Quod signum ante legiōnem fertur? ...
in itinere ante legiōnem fertur aquila argentea

4. Quid vocātur exercitus quī in itinere est? ...
exercitus in itinere dīcitur 'agmen'

5. Quōmodo legiō ad proelium īnstruitur? ...
legiō in trēs ōrdinēs īnstruitur

6. Quid agit dux ante proelium? ...
ante proelium dux mīlitēs suōs hortātur ut fortiter pugnent

7. Quō nōmine appellātur dux post magnam victōriam? ...
post magnam victōriam dux 'imperātor' nōminātur

8. Quōmodo castra Rōmāna mūniuntur? ...
castra Rōmāna vāllō et fossā mūniuntur

9. Quārē Aemilius puer gladiōs ligneōs sibi faciēbat? ...
gladiōs ligneōs faciēbat ut cum aliīs puerīs proelia lūderet

10. Cui reī studēbat Aemilius adulēscēns? ...
Aemilius adulēscēns reī mīlitārī studēbat

11. Ad quod studium pater fīlium hortābātur? ...
pater fīlium suum ad studium litterārum hortābātur

12. Quō Aemilius ā patre missus est? ...
Aemilius in Germāniam ad exercitum Rōmānum missus est

13. Quālis mīles est Aemilius? ...
Aemilius est bonus mīles

14. Dē quibus rēbus Aemilia ad frātrem scrībere solet? ...
Aemilia ad frātrem scrībit dē rēbus prīvātīs

15. Quid appāret ex epistulīs Aemiliī novissimīs? ...
ex litterīs eius appāret eum iam vitā mīlitārī fatīgātum esse

## Exercitium 6

1. Ubi sunt Alpēs? ...
Alpēs sunt montēs inter Italiam et Germāniam

2. Quid Aemilius cognōvit ex epistulā sorōris? ...
cognōvit sorōrem suam et virum eius et līberōs bene valēre

3. Cūr Aemilius permovētur epistulīs legendīs? ...
... quod patriam et amīcōs suōs dēsīderat

4. Quod flūmen praeter castra Aemiliī fluit? ...
Dānuvius fluvius praeter castra eius fluit

5. Quis deus trāns montēs amnēsque volāre potest? ...
Mercurius est deus quī trāns montēs et maria volāre potest

6. Quārē legiōnēs Rōmānae in Germāniā sunt? ...
exercitus Rōmānus in Germāniā est, ut fīnēs imperiī dēfendat

7. Quamdiū legiōnēs in Germāniā remanēbunt? ...
Rōmānī tamdiū in Germāniā remanēbunt quamdiū hostēs armātī ibi erunt

8. Quot litterās Aemilius ā sorōre accēpit? ...
Aemilius trīnās quaternāsve litterās accēpit ā sorōre suā

9. Cūr ipse neglegēns fuit in scrībendō? ...
nūllum ōtium Aemiliō fuit ad epistulās scrībendās

10. Cūr iam nūllus hostis armātus citrā flūmen est? ...
.... quia prīdiē Rōmānī exercitum Germānōrum proeliō vīcit

11. Estne tibi ōtium ad multās epistulās scrībendās? ...
paucās epistulās scrībō quod mihi parum est ōtiī

## Exercitium 11

1. Quid mediā nocte in castra nūntiātum est? ....
Mediā nocte in castra nūntiātum est 'magnum hostium numerum nāviculīs ratibusque cōpulātīs flūmen trānsiisse celeriterque secundum flūmen adversus castra nostra prōgredī.'

2. Cūr mīlitēs Rōmānī dubitābant an vērum dīxisset nūntius? ...
nūntiātum est ‘magnum hostium numerum adversus castra prōgredī’

3. Quid factum est paulō ante lūcem? ...
... quia extrā vāllum omnia tranquilla erant

4. Num Germānī vāllum ascendere potuērunt? ...
exercitus Germānōrum castra Rōmāna oppugnāvit

5. Quōmodo hostēs perturbātī sunt et quō fūgērunt? ...
Germānī vāllum ascendere nōn potuērunt, cum Rōmānī castra dēfenderent

6. Quot hominēs Germānī eō proeliō āmīsērunt? ...
Cum Rōmānī ē castrīs ērūpissent, hostēs perturbātī ad flūmen fūgērunt

7. Cūr dux mīlitēs suōs laudāvit? ...
Germānī duo ferē mīlia hominum āmīsērunt

8. Quārē lēgātī Germānōrum ad castra vēnērunt? ...
dux mīlitēs suōs ob virtūtem laudāvit

9. Quōmodo Valerius interfectus est? ...
lēgātī vēnērunt ut cum imperātōre Rōmānōrum colloquerentur

10. Quid amīcus moriēns Aemilium ōrāvit? ...
Valerius pīlō percussus periit

11. Cūr Aemilius puer Tibullum poētam dēspiciēbat? ...
Valerius Aemilium ōrāvit ut parentēs suōs cōnsōlārētur

12. Quid postrēmō sorōrem monet Aemilius? ...
... quia poēta vītam ōtiōsam laudābat, vītam mīlitārem dēspiciēbat

# CAPITVLVM XXXIV

## Exercitium 3

1. Quid Aemilia Fabiae nārrat? ...
Aemilia Fabiae nārrat dē cāsū Quīntī

2. Num Aemilia medicum prūdentem esse cēnset? ...
Aemilia medicum stultum esse cēnset

3. Quid Fabia nārrat Aemiliae? ...
Fabia eī nārrat 'suum Sextum fīlium ab aliīs puerīs laesum esse'

4. Cum quibus puerīs pugnāvit Sextus? ...
Sextus pugnāvit cum Mārcō et Titō

5. Quōmodo Sextus, puer validus, vincī potuit? ...
Sextus victus est cum sōlus cum duōbus pugnāret

6. Iīsdemne rēbus student Mārcus et Sextus? ...
Sextus litterīs studet, Mārcus potius lūdīs et certāminibus

7. Dē quā rē Cornēlius loquī incipit? ...
Cornēlius dē lūdīs gladiātōriīs loquī incipit

8. Quid Aemilia quaerit ā Cornēliō? ...
Aemilia quaerit ‘quōmodo rētibus certent gladiātōrēs?’

9. Semperne occīditur gladiātor victus? ...
gladiātor victus occīditur, nisi spectātōrēs eum vīvere iubent

10. Quid Rōmānī in circum spectātum eunt? ...
Rōmānī in circum eunt ut cursūs equōrum spectent

11. Quid Fabia spectāre māvult? ...
Fabia lūdōs scaenicōs spectāre māvult

12. Quis est Plautus? ...
Plautus est poēta Rōmānus quī cōmoediās scrīpsit

## Exercitium 6

1. Quārē Ovidius in circum vēnerat? ...
Ovidius in circum vēnerat ut cum amīcā suā loquerētur

2. Cūr equōs nōn spectābat? ...
... quia amīcam suam spectāre mālēbat

3. Num Ovidius bellum Trōiānum cecinit? ...
puella Ovidium prohibēbat nē bellum Trōiānum caneret

4. Cuius poētae carmina Fabia audīre cupit? ...
Fabia carmina Catullī audīre cupit

5. Quod carmen Iūlius prīmum recitat? ...
Iūlius incipit ā carmine Catullī dē Lesbiae passere mortuō

6. Quamobrem ocellī Lesbiae turgidī rubēbant? ...
ocellī Lesbiae turgidī rubēbant quia lacrimāverat

7. In Catullī carmine quid significat ‘nox perpetua’? ...
‘nox perpetua’ significat ‘mortem’

8. Cūr Catullus Lesbiam uxōrem nōn dūxit? ...
... quod Lesbia Catullō nūbere nōluit

9. Quālis fēmina erat Lesbia? ...
Lesbia erat fēmina īnfīda

10. Versibus recitātīs quid faciunt convīvae? ...
convīvae Iūliō diū plaudunt

11. Quālēs versūs Paula audīre māvult? ...
Paula versūs iocōsōs audīre māvult

12. Quōmodo Catullus Fabullum ad cēnam vocāvit? ...
Catullus Fabullum hortātus est ut ipse cēnam afferret

13. Cūr hospitem suum rogāvit ut ipse cēnam afferret? ...
... quia sacculus Catullī vacuus erat

## Exercitium 9

1. Quālēs versūs scrīpsit Mārtiālis? ...
Mārtiālis epigrammata scrīpsit

2. Num omnēs Rōmānī libellōs eius laudābant? ...
nōn omnibus placēbant libellī Mārtiālis

3. Cūr Mārtiālis Pontiliānō libellōs suōs nōn mīsit? ...
Pontiliānō libellōs nōn mīsit, nē ille suōs libellōs mitteret Mārtiālī

4. Cūr nēmō carmina Cinnae legēbat? ...
... quia Cinna malus poēta fuit

5. Num Sabidius amīcus Mārtiālis erat? ...
Mārtiālis Sabidium nōn amābat

6. Quid tū Faustum puellīs scrībere putās? ...
putō Faustum puellīs scrībere dē amōre

7. Cūr dentēs niveōs, nōn nigrōs habēbat Laecānia? ...
Laecānia dentēs niveōs habēbat, quia ēmptī erant

8. Cūr Prīscus Paulam uxōrem dūcere nōlēbat? ...
crēdō Prīscum virum dīvitem esse, Paulam virginem pauperem

9. Quālis fēmina ‘sē fōrmōsam et puellam esse’ dīcit? ...
id dīcere solet quae nec fōrmōsa nec puella est

10. Num Gellia patrem mortuum vērē lūgēbat? ...
sine teste Gellia patrem nōn lūgēbat

11. Quamobrem vir pauper numquam dīves erit? ...
... quod hodiē dīvitiae nūllīs dantur nisi dīvitibus

12. Quot epigrammata recitat Cornēlius? ...
Cornēlius centum ferē epigrammata recitat

# CAPITVLVM XXXV

## PENSVM C

1. Quae sunt partēs ōrātiōnis?
Nōmen, prōnōmen, verbum, adverbium, (participium), coniūnctiō, praepositiō, interiectiō

2. Estne 'discipulus' nōmen proprium?
Nōmen appellātīyum est

3. Cāsūs nōminum quī sunt?
Nōminātīvus, accūsātīvus, genetīvus, datīvus, ablātīvus, vocātīvus

4. Quī sunt gradūs comparātiōnis?
Positīvus, comparātīvus, superlātīvus

5. Prōnōmen quid est?
Pars ōrātiōnis quae prō nōmine pōnitur

6. Quot sunt coniugātiōnēs verbōrum?
Sunt quattuor

7. Num 'intus' et 'forīs' adverbia temporis sunt?
Nōn adverbia temporis, sed locī sunt

8. Cui cāsuī iungitur 'inter' praepositiō?
Inter casuī accūsātīvō iungitur

9. Quae praepositiōnēs ablātīvō iunguntur?
Praepositiōnēs ab/ā, cum, de, ex/ē, prae, prō, sine, cōram

10. Quibus cāsibus iungitur 'in' praepositiō?
Ablātīvō aut accūsātivō

11. Interiectiō quid significat?
Interectiō significat metis affectum